



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vetvstissima Inscriptio Qva L. Cornelii Scipionis Elogivm Continetvr

Sirmond, Jacques

Romae, 1617

Antiquae Inscriptiois Qva L. Scipionis Barbati F. Expressum Est Elogivm,
Explanatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11033

ANTIQUAE

INSCRIPTIONIS

QVA L. SCIPIONIS

BARBATI F.

EXPRESSVM EST ELOGIVM,

Explanatio.



BFFOSSA est altero ab hinc anno Romæ ad portam Capenam hæc inscriptio: quæ quòd interpretem fortasse nacta non sit, hæctenus neglecta, & sine honore iacuit: à nonnullis etiam, quos merito rideas, barbari sequiorisq. sæculi suspicione damnata est. Mihi verò, nisi mea me fallit coniectura, egregium hoc monumentum, nulli omnium quæ Romæ sunt vetustate concedere, atque inter præcipua memorabile videtur. Quod vt tute, lector, mecum sentias, vbi sinceram eius sententiam expressero, res ipsa vt spero persuadedit. Sic enim legendam censeo.

8 ANTIQ. INSCRIPTIONIS

Hunc unum plurimi consentiunt Romæ

Bonorum optimum fuisse virum

Lucium Scipionem . filius Barbati

Consul, Censor, Aedilis hic fuit.

Hic cepit Corsicam Aleriamq; urbem,

Dedit Tempestatibus ædem merito.

Nunc ergo suam ipsa, ut vides, prodit ætatem: Nam cum L. Scipionem, cuius elogium continet, Barbati filium vocet; Barbatum autem in Scipionum familia unicum sciamus fuisse Cornelium Scipionem Barbatum, qui anno V. C. CDLVII. Comitum Consulum creandorum causa Dictator habuit, & anno insequente Pontifex Maximus ædem Concordiæ, Liuius teste, dedicavit: reliquum est, ut ad proxima omnino tempora inscriptionem hanc referamus; atque adeo Duiliana ipsa, quæ vetustatis nomine præ omnibus hodie celebratur (si tamen hæc verè illa est antiqua, & non alia potius interpolata, priorisque loco, ut fama est à posteris restituta) nihilo recentiore esse fateamur. cum Duilij victoriæ naualis, cuius honori columna illa rostrata posita est, in annum incidit ab vrbe condita CDXCIII. quem annum qui excepit, is L. Scipionem Consullem vidit, & res ab eo in Corsica gestas, quæ hoc elogio commemorantur.

Iam æuo illi, hoc est prisco, & antiquo sæculo congruere obsoletam vocum literarumque formam,

Lib. 9.

nam, quæ tota cernitur inscriptione, quis neget? Quamquam vox quidem in ea nulla est, si Duonum excipias, quæ latina prorsus, & vsitata non fit. *Duonum* autem pro bono ab antiquis dici solitum, auctor est Festus, apud quem etiam in Topper, *Duona ad naues portare* vetus scriptor ait, pro eo quod est *Bona portare*; & in Carmine Saliari *Duonus ceruses*, vt grammatici exponunt, Bonus est creator. Hac igitur voce dempta, reliquæ omnes vulgo notæ sunt, sed à communi tamen vsu remotæ, vel orthographiæ dissimilitudine, vel inepto, vt videtur, discrepantium casuum nexu, & coniunctione, vel denique inusitata duarum maxime literarum forma, & caractere. Ceterùm hæc omnia, vt ostendam, non exoticam barbariem, sed Romanam vetustatem illam redolent, quam dixi.

Atque vt hinc potissimum exordiar, & istud vncinatum, & P ad F I Græcorum instar semiclausum, in alijs etiam eiusdem æui monumentis, nummis scilicet, tabulisque æreis videre est, & à nobis ipsis vtriusque olim exemplum in priuernatis lapidis fragmento, in quo APPIOS CONSOL inscriptus legebatur, animaduersum meminimus. Rursum quod O, pro V, passim exhibet in HONC, COSENTIONT, LVCIOM, & alijs, non opificis errore, vel in-

quo

10 ANTIQ. INSCRIPTIONIS

Lib. I. cap. 4.

v. Publici.

quo hæc inuicem, Fabio teste, permutabant, vt *Hecoba*, *Notrix*, & *Dederont*, probaueront. Eodemque modo quia pro V, longa nunc OI, nunc OE vsurpabant; hinc est, quod OINO, pro VNO, scriptum est, & PLOIRVME, pro plurime; sicut in alia inscriptione Alatrina *coirauit*, pro *curauit*, & in Siliorom plebiscito apud Festum oitier pro vtier. At vero V contra, I loco scribere, vt PLOIRVME, OPTVMO, vsque adeo Romæ ab antiqua consuetudine inoleuerat, vt quod Optimus, Maximus mediam I literam, quæ veteribus V fuerat, acceperint, Caij primum Cæsaris inscriptione factum ferant. Ita quod E similiter, I quoque locum occupat in PLORIVME, FVET, DEDET, TEMPESTATEBVS, & MERETO, prisca itidem vetustatis est indicium, vel Duilianæ columnæ argumento, in qua *exemet* pro *exemit*, & *Cepet*, pro *Cepit*, aliaque id genus visuntur: & inscriptionis eiusdem Alatrinae, in qua hæc inter alia scripta sunt: OB HAS RES SENATVS FILIO STIPENDIA MERETA ESE IOVSIT. Quibus in verbis aliud præterea extat in ESE, & IOVSIT antiquæ scripturæ vestigium, quod in hac quoque nostra in FVISE, & in Duiliana inscriptione in CLASES impressum est; cum simplici S hæc omnia scribantur, quæ gemina solemus: quia, femiuocales, vt idem Fabius obseruat, non geminare

Lib. I. cap. 7.

nare

nare diu fuit vetustissimi moris. Denique si cetera percurras, nihil est omnino, seu literarum formam spectes, seu variam illarum inter se permutationem, quod temere, aut casu positum, & ab illo, quem dixi priscae antiquitatis fonte ductum non sit. Restat ergo, vt de verborum nexu & iunctura dicamus, in quo vereor ne difficilius sit persuadere. Quis enim Romae vniquam ita locutos putet, *Lucium Scipione, cepit Corsica, Dedet aide?* aut quis cetera fere omnia, quae ad eum modum vix cohærent, latinæ linguæ legibus aduersari, & solœcismis scatere non censeat? Verum hic tu mihi, lector, paulisper, vt ait ille, sustine patientiam, & vide num quod vitio erroriq. imputas,tribuendum sit potius vetustati. Quid enim? an contra grammaticæ leges scriptum dici potest, quod eius artis vsum, & leges omnes antecessit? Grammatica olim Romae, vt Suetonius De Illustr. Grâmat. Tranquillus testatur, ne in vfu quidem erat; rudi scilicet, ac bellicosa ciuitate, armis potius quam liberalibus disciplinis vacante. Primusque, vt idem opinatur, eius artis studium in urbem intulit Crates Mallotes, Attali Reges legatus, inter secundum, & tertium bellum Punicum, hoc est annis post Scipionem Barbatum supra centum & viginti. Ad id tempus, grammaticæ regulis nondum constitutis, vna Romae loquendi scribendique lex erat populi consuetudo. Quæ quoniam continuo in

motu

12 ANTIQ. INSCRIPTIONIS

motu varia erat, & subinde mutabatur; Ita Romanæ tum linguæ magnas fieri necesse fuit mutationes; mirum ut proinde non sit, vel Saliorum carmina vix tandem Sacerdotibus suis satis intellecta fuisse, quod Fabius affirmat, vel Polibij ætate, ut ipsemet narrat libro tertio: ægre etiam ab antiquitatis peritissimis potuisse explicari verba fœderis, quod Romani primum cum Carthaginiensibus post exactos Reges pepigerant. Non ergo si quid est in ista inscriptione, quod aures nostras accuratis Grammaticorum præceptionibus assuetas offendat, id tamquam à recte loquendi, scribendiq. legibus abhorrens illico damnandum est. Sed illius potius ætatis agnoscenda conditio, quæ nullis adhuc erudita magistris cum scriptores nondum villos haberet, quorum exempla sectaretur, in primis quodammodo linguæ suæ cunabulis balbutiebat. Posthæc enim secuta est artis disciplina, elegantissimorumq. auctorum imitatio, quæ rudem linguam perpoliuit, breuiq. ad eam perfectionis dignitatem perduxit, quæ florente Republica viguit, stetitque, quamdiu Romana res stetit. tum exinde cum imperio ipso sensim deflexit: & quod in ædificijs, ceterisque rebus accidere solet, per eosdem gradus, & incrementa quibus adoleuerat, reuocata, pristinam rursus ad infantiam, balbutiemque redacta est.

Atque hæc quidem ita disserui, quasi in confesso

fesso esset, latinitatis leges, neque in hac In-
 scriptione seruatas, neque illo sæculo eas fuisse, quæ
 postea fuerunt. Quid si contra nihil in ea esse
 contendamus, quod grammaticorum placitis re-
 pugnet, totamque istam, quæ admirationem pa-
 rit, vitiosæ orationis speciem, ab eadem ipsa, quam
 in ceteris ostendimus, pronuntiandi, scribendique
 antiqua consuetudine natam esse? Enimvero si
 rem propius intueare, animaduertes profecto, ea
 quæ in hoc genere reprehenduntur, omnia ferme
 vnius M literæ defectu in extremis aliquot voci-
 bus laborare. Hanc autem vt exilis & obscuri cum
 dictiones elaudit soni, nec enuntiari, nec scribi
 olim solitam, tum maxime, cum insequentium
 dictionum à vocali erat initium; atque hoc Lib. 9.
cap. 4.
 more, quod Fabius itidem obseruat, *die hanc*,
 non *diem*, scripsisse Censorium Catonem,
 quis nescit? Fac igitur quod Catonis ætate tum
 fiebat, cum proximę dictiones à vocalibus inchoa-
 bantur, id L. Scipionis rudiore adhuc æuo fieri
 consueisse qualecumq. illi initium: atque
 vbi M litera in eius elogio expressa non est, ex-
 pressam puta, vt OINOM, DVONOROM,
 OPTVMOM, VIROM, legas, & L. SCIPIO-
 NEM, itemque CEPIT CORSICAM, ALE-
 RIAMQVE VRBEM, & DEDET AIDEM:
 iam salua, atque integra erunt omnia, nullæ pa-
 raptosēs, nulla vocum absōna connexio, nihil
 deni-

denique quod Criticorum amissim censuramque reformidet.

Sed de inscriptionis verbis totaque illorum compositione sat multa. Nunc autem paucis quid illa rerum nos doceat (docet autem sane permulta,) consideremus. Primum enim acceptum huic ferant necesse est Romanæ historiæ studiosi, quod Scipioni Barbato Filium fuisse docet, cum Barbati Filium ij, qui Romanorum stemmata describunt, nullum prodant. Nos vero huius admonitu L. Scipionem, non illum sanè, qui anno CDLV. Consul factus, in Hetruria, vt Liuius narrat, non in Corsica rem gessit; sed alterum anni CDXCIV. Consulem, Barbato patre natum didicimus. Hic enim est, quem de Corsis, Sardisque, & Poenis proximo post anno triumphasse notant tabulæ Capitolinæ, cuiusque in Corsica victoriæ in Epitome Liuiana, & apud Florum, Eutropium, Orosium, & alios crebra est mentio. Ac nequis ambiguo locus esset, Aleriam quoque claram olim eius insulæ urbem, Sullana posthæc, vt Plinius scribit, Colonia nobilitatam, à Scipione captam tum fuisse, Zonaras, vel Dio potius apud Zonaram testatur: etsi Valeriam pro Aleria vocat; sed mendosi Codicis vitium, vt hoc illi etiam inter cetera debeamus, corrigit Inscriptio. Et quamquam dissimulandum non est L. Scipionem hunc, qui de Corsis triumphum egit, Lucij Filium in fastis appella-

Lib. 10.

Lib. 3. cap. 6.

pellari, Scipionem autem Barbatum à Liuiio Publium dici non Lucium: nemo tamen est, qui non intelligat facilius fuisse, vt vel in tabulas Capitoli-
nas, vel in Liuij Codicem error irreperet, quàm, vt inscriptionis huius, quæ L. Scipionem Barbati filium facit, in dubium vocari fides queat. Lib. 9.

Quale porro est, quod eadem L. Scipionis Censuram (vt de ædilitate nihil dicam) commemorans, simul nos quomodo restitui Capitolinæ tabulæ debeant, admonet, docetque C. Duillij anno CDCXCV. in censura collegam Lucium hunc Scipionem fuisse, quem ex eâ tabulæ tribus tantum extremis literis designant? Scio aliter doctissimo viro, & Romanæ historiæ peritissimo visum Onufrio Panuino, qui Cn. Scipionem Afinam suspicatus est. At vero assentiri ne possim facit, partim quòd L. Scipionis censuræ, quam ab eo gestam probat inscriptio, locus in fastis nullus erit, nisi hic concedatur; partim quod si Cn. Scipio Censor cum Duillio fuisset, vt placet Onufrio, prælatus illi haud dubiè in Fastis esset, cum prior quoque in Consulatu, quem biennio ante vna gessit, nominetur. Lucius autem noster cur Duillio in Censura postponatur, in promptu causa est, quòd Consul quoque post illum fuisset. Quare supplere sine fuce ex inscriptione nostra licet, quod in tabulis Capitolinis eo loco desideratur.

De Tempestatum autem æde quid dicam? siue

illa

illa est ædes Tempestatis, quam P. Victor in prima urbis regione, cui à porta Capena nomen, locat, siue alia vsquam ab hac diuersa, quod mihi ægre persuaserim, quis nisi in hoc lapide legeretur, non eius ædis conditorem ignoraret? Causam quidem cur Tempestati data sit ædes, exortam in mari Corsico tempestatem fuisse significat Ouidius, nec obscuri eius sunt versus è VI. Fastorum,

*Te quoque Tempestatas, meritam delubra fatemur,
Cum penè est Corsis obruta classis aquis.*

Sed quam multos hæc ipsa Corsicæ procellæ commemoratio, dum afflictæ classis ductorem, ædisque auctorem quærunt, in errorem induxit? Nam fuere, qui ad Claudium Neronem anni D L I. Consulem, cuius atrox, & naufragio proxima tempestatas à Liuiio describitur, referendum censerent: alij rursus Marcello, alij Metello, friuolis omnes ducti rationibus tribui maluerunt. Quibus nimirum si elogium hoc legere licuisset, numquã dubitassent, quin ex illius verbis petenda esset Ouidianorum versuum interpretatio.

Et tot igitur hisce nominibus in lucem prodire tam illustre monumentum intererat, & ipsius in primis, cuius laudes exequitur, L. Scipionis, quem bonorum ætatis suæ virorum optimum in tenebris perpetuò iacere par profecto non erat: & tamen apud alios quidem scriptores hoc eius virtutis præconium frustra queras; ita de illo silent omnes,

nes,


Lib. 30.

nes, cum P. Nasicam ex eadem gente centum fe-
 rè post annis optimum virum Senatus sententia
 iudicatum, dignumque, qui Magnæ Matris simu-
 lacrum exciperet, habitum, plurimi literis prodi-
 derint; & in Atilij Calatini sepulcro non dissimi-
 le incisum elogium Cicero ipse in Catone non
 fileat, *Quem plurimæ consentiunt gentes populi
 primum fuisse virum*. Cuius ego Atiliani
 elogij quoties reminiscor, toties in mentem venit
 ad L. quoque Scipionis sepulcrum pertinuisse In-
 scriptionem, in qua versamur: vt duorum clarif-
 simorum Ciuium, ætate, honoribus, rebus gestis
 prope æqualium coniuncta fuerint, vt loco, sic
 etiam tituli gloria, & similitudine monumenta.
 Etenim extra portam Capenam & Calatini, & *Tusc. 5.*
 Scipionum sepulcra fuisse, vel ex eodem M. Tullio
 notum est: ad Capenam autem effossum hunc la-
 pidem fuisse, præfati initio sumus. Nec verò labo-
 randum censeo, quoniam intra vrbs mœnia est
 effosus, sepeliri autem intra mœnia mos non
 erat, eò ne aliquando translatus è sepulcro, an
 sepulcrum ibi olim conditum, & mœnia post id
 tempus cum Pomærij finibus translata sint. Quo-
 quo enim modo res habeat, suus nimirum ho-
 nos, & pretium erit Inscriptioni; tibi que, vt con-
 fido, lector, iam satis persuasum, non abs re illam
 à nobis principio laudatam, dignamque quam

B meri-

18 ANTIQ. INSCRIPTIONIS

merito magni omnes faciunt visam esse, quæ præter vetustatis commendationem, tanti Viri memoriam prope intermortuam excitavit, & iucundam simul non vulgariam, & hæctenus ignotarum rerum notitiam complectatur.



EX